Decimo sexto kalendas Decembris, Cor Ludouicj Xiii Francorum Regis, ab eodem moriente legatum nobis, atque concreditum a Reginâ in Mausoleo conclusum est, quod Marito Suo, eadem Regina & pientissima Coniux, magnis Sumpsibus excitauit. Proxime Sequentj Dominico die, venit illa in templum nostrum, multis prælatis atque palatinis Stipata id visura primum. Cantatæ sunt a Regiis Musicis Vesperæ, & habita est ab oratore nostro Concio digna hac celebritate. Emicant ex pariete quasj in aëre pensiles Angelj duo, humanâ Staturâ maiores: Vnâ manu in Strophiole argenteo liliis aureis distincto, Cor flammeum Sustinent; alterâ manu regiam coronam eidem imponunt Cordj, quod in cælum videntur attollere; Cæterum tanto artificio libratj, vt non adhærere muro, Sed ex co euolare videantur. Sexaginta millibus librarum Turonicarum Stetit opus; in quod præter æs Suecicum Argenti trecenta pondo, Auri Vnciæ decem adhibitæ Sunt per Sculptores, & Fabros totius orbis peritissimos. Fornix autem Capellæ, quæ Mausoleum capit tota circumuestita est nigro marmore vel Jaspide, quibus insertæ ex candidissimo marmore Imagines, parum exstantes, Simul & Regis optimj virtutes, & Reginæ in maritum amorem produunt & exhibent.

(p. 2)

Jansenianorum in Societatem odium  
& Persecutiones

Janseniani Summi Pontificis afflati fulminibus ; atque Hæreseos conuicti, non ut olim Lutherus, & Calvinus, in Pontificem, & Romanam Ecclesiam maleuolentiæ, & furoris sui effudere virus, sed in Societatem nostram, cuius doctrinam de moribus maledicentissimis, & dicacissimis Epistolis traducere conati sunt. Eas autem tanto numero sparserunt, ut constet intra tres menses earum ad centum viginti millia exemplarium e diversis prælis prodiisse, quæ per emissarios suos, non per vniuersam Galliam modo, sed & in Angliam, Batauiam, Heluetios, Germaniam ; aliasque gentes in Romanam Sedem parum æquas deferenda curarunt. Eas porro contempsimus quamdiu hæreticorum & impiorum prolixis animis excipere vidimus : at vbi sensimus iisdem etiam, tentari bonorum fidem, & Patientiam nostram modestamque taciturnitatem incommodare religioni : Contrariis litteris didaculorum hominum ita contudimus impetum & audaciam vt omnes intellexerint, nec Innocentiam nobis nec veram doctrinam defuisse. Huic affinis est tempesta excitata in Societatem nostram per quosdam Parochos Rothomagenses, de quibus ita referunt Patres nostri qui in ea

vrbe manent.

Unus e Primariis Rothomagj Parochis, pessime iamdudum in Societatem animatus, architectus est tempestatis huius. Is in Synadalj coetu doctrinam

Societatis pluribus conuiciis infuscare, dirisque omnibus deuouere ausus est,

at re delata ad Illustrissimum & Reuerendissimum Archiepiscopum Rothomagensem Totius Normanniæ Primatem, non vocatus modo & redargutus

temerarii consilii fuit, sed etiam iussus tum in concionibus, tum in familiaribus

congressu profiteri se palam & aperte nec doctrinam, nec personas Societatis

culpa ulla imminuere voluisse. Non paruit tamen utpote qui aliquot elapsis

hebdomadis, nactus occasionem inueterato peropportunam odio, ex Euan-gelio de

doctrina Pharisæorum, grauius in Societatem, eiusque doctrinam moralem inuectus est, contra quam Illustrissimus Archiepiscopus, etiam intentatâ Suspensione

prohibuisset. Hic & tum Pater Rector Collegii Rothomagensis contumax facinus

vbi ad Illustrissimum Archiepiscopum detulisset, voluit is supplicem sibi libellum

a Patre Rectore offerri, quo duo peterentur, primo vt iniurias & falsas, quæ in

vulgus gallico Idiomate disseminabantur, Jansenistarum Litteras censurâ suâ

feriret: Secundo vt nominatj Parochi petulantiam coerceret; quâ viâ  
necessitas iuridice  
respondendj imponeretur. Censuram Litterarum Illustrissimus  
Archiepiscopus  
ad Conuentum Episcoporum, qui Parisiis celebrabatur, remittendam esse  
censuit;

(p. 3)

In Parochum vero animaduertere noluit prius, quam de culpa quæstio  
fuisset  
instituta; quare ad Officialem suum causæ cognitionem transtulit. At  
Parochus  
sibi soli diffidens, quo se tutius muniret, auxilium implorauit Capituli  
Rothomagensis,  
cuius est ærarius Quæstor, ideoque id sibi tribuens priuilegii, vt ab eo  
posset  
solo redargui: Sed re diligentius expensa Capitulum opem ferre non  
tentauit.  
Itaque confugit ad cæteros Urbis Parochos, quorum plerique, Sapien-  
tioribus tamen  
& maioris nominis exceptis, coeco impetu perditissimâ causâ sese im-  
plicarunt,  
quo futili & commentitio successu, superbiens insolentius extulit animos,  
fecitque vt foederati Parochi Rothomagenses scripserint & ad Parisienses  
Parochos  
& ad alios cæterarum Dioceseon Franciæ. Vt eadem coniuncti omnes  
conspiratione  
doctrinæ moralis Societatis Censuram apud Episcopos Parisiis con-

gregatos

facilius vrgerent. Verum inter Parochos non pauci foedus irriserunt, & complures

Episcopi pro singulari suâ æquitate constanter obstitere. Adde quod Excellentissimus

Princeps Longauillæus Totius Normanniæ Gubernator, Parochum tanti malj

authorem & architectum ad se vocauerit & acriter reprehenderit adhibitâ prohibitione ne hæc lues grassaretur: idem vetuit Supremi Senatus Normanniæ

Infulatus Præses: non desiit tamen virus effundere, susceptumque concilium

vehementius premere, donec a congregatis Episcopis vt par erat, repulsam tulisset ad iis explosus, & obiurgatus. Interea lis apud Officialem agitura foederatis

Parochis, qui licet rei sient, nihilominus Patrem Rectorem accusant, quod in suo

supplici libello supradictum Parochum iniuriis affecisset, ea nimirum mente vt inuidiam a se & accusationis dedecus amolirentur: Sed odium quo aduersus

Societatem incendebatur Parochus plura ex calamo extorsit quam ex ore eoque venit malitiæ vt quæ causæ suæ officerent, ea ipse clam deleuerit ut Patrem Rectorem falsitatis conuinceret, nisi caute & prudenter technas illas

anteuertisset, & iuridicis remediis sese muniisset. Lis tandem amicorum interuentu pacate composita cum magna modestiæ nostræ approbatione Civitatem Vniuersam exhilarauit.

Aureliæ quoque aliquid tubatum est, occasione vnus e Nostris qui in

templo

nostro Concionem habens, ad populum octauo Septembris cum multa pie doctequē

de Natali Deiparæ dixisset, sub finem Jansenianorum dogma perstringit. Vnde apud paucos aliquos grauitē offendit qui huius doctrinæ lue infecti erant, iique,

Illustrissimum loci Antistitem aduersus eum concitauerunt. Sed hæc procella

post aliquod tempus deferbuit prudenti consilio Primarii Iudicis qui Seditiosam

vti ferebatur eius concionem, auditis testibus minime reperit & Patrem latā

(p. 4)

Sententia absoluit : Serenissimus etiam Princeps & Dux

Aurelianensis, huic componendo negotio plurimum iuuit ; tum suo erga Societatem impulsus

studio, tum acceptis a Reginâ litteris, atque ita controuersia omnis sedata est.

Porro sic affectæ Societatis contigit idem quod plantis atque arboribus vsu venit,

vt amputatæ repullulent & in fruges abundantiores exuberent, siue Missiones

attendas, siue Scholastica exercitia, siue conciones habitas ad plebes, siue etiam

temporalia incrementa. Quæ omnia in melius profecerunt vt sequentes narrationes explicabunt.

Missiones

Evocati a Rege ad Missionem Castrensem Nostrj v [un mot illisible]  
ribus viris  
operam haurunt, cum magnâ Societatis gloriâ & eorum [un mot illisible]  
quos in officio continuerunt  
vivos, & fato functos, vt pie credimus, asseruerunt cælo.  
Flexiæ quoque per Patres tertiæ probationis quj inibi versantur Serio  
adlaboratum  
in Missionibus, quatuor potissimum Sacras in expeditiones incubuere, ex  
quibus  
post admissos ad expianda peccala circiter vigintj mille homines, quanta  
Sperari ad  
propagationem diuinj cultus maxima poterat, vtilitas exstitit.  
Biturigibus Tres e Nostris circa festum Pentecostes, per sacros Jubilæj dies  
missi sunt  
ad Castrum Rodophj, non ignobile agri Bituricensis oppidum vbi ingetes  
in Dominj  
vineâ fructus fecere; Spatio trium hebdomadarum, hominum millia plus  
quinque  
Sacra Confessione purgata ad coeleste Conuiuium admissa Sunt; hoc  
præ coeteris ad  
memoriam insigne quod præcipuj illius oppidi ciues capitalj inter se odio  
dissidentes,  
sic nostrorum incredibilj studio, charitate & industriâ conciliatj sint, vt ad  
mutuos  
amplexus conuolarint & ad pristinæ amicitiae officia redierint.  
Per Ebroicencem Diocesim missj e Collegio Rothomagensi Patres.  
Magnos

operæ suæ fructus collegerunt in concilandis inter se dissidentibus, in malepartorum

restitutionibus, in pacatis familiis, rebus priuatis ac publicis ad optimum statum

reuocatis.

Ambiani quoque Missio instituta sub annj finem, Sacerdotes omnino duo per dies

vigintj strenue Missionem adierunt, tanta conuolantium etiam aliis e pagis hominum,

ac puerorum frequentia, vt turba Sacras ædes vix tantæ multitudinis capaces implente,

mira priuatis in tectis esset incolarum Solitude; inter cœtera hoc mirabiliter, æque,

ac miserabiliter contigit, vt rusticus quidam Seruus ab hero sæpius, ad vitæ

emendationem, atque in primis peccatorum expiationem incitatus, cum piis

admonitionibus pertinacius reclamasset, infoelici casu biduo post extinctus sit:

(p. 5)

nam cum duo simul terram fossione proscinderent, hic terræ diffluentis minâs

oppressus est, altero qui sese Deo conciliarat, diuinâ ope foelicius euadente.

In Collegio venetensj Missiones quatuor per varias parroccias obitæ, magno accolarum fructu. Incredibile dictu est quam multa in vna dioceseos vrbe dissidia, odioque

Sublata, quot reconciliationes, restitutionesue, tempore præsertim Jubilæj factæ, cum duo

e Nostris cum aliquot Sacerdotibus Sæcularibus vineam in ea Dominj excolerent.

In Corisopitensj Missiones obitæ in quibus Nostrj vulgo fructus vberes diuturnosque,

capiunt, tam in Rusticorum pagis, quam ad vicina late littora.

His affinia sunt quæ per Domos passim ad Dej gloriam & animarum salutem

pie gesta referuntur.

In Domo Probationis Parisiensj Exercitiis Spiritualibus excultj sunt Sæculares numero vigintj tres.

Ibidem Nono Julij Francisca Stanhoba, Puella Nobilis anglicana in templo nostro hæresim eiuravit & Solemnj ritu Ecclesiæ Catholicæ reconciliata est,

præsentè & fauente Serenissimâ Reginâ Angliæ & viuerso eius comitatu amplissimo,

Præfuit actionj Sacerdos Concionator e Societate nostrâ quj ab Elegantj prafationi exorsus

postea ejus fidej Professionem excepit & publicâ demum absolutione donatam dimisit

Molinenses quiddam mirabile sic produnt, Cum Pater Minister in clauso cubiculo negotij quid ageret audiit pulsantem aliquem ad ostium, Sed accurrens cum

neminem vidisset perrexit ad fabros lignarios qui operis tectum imponebant;

vix præsto aderat Pater, cum casu mirabilj architectus eloco Superiorj in terram

decidens, ceruicem ad lapidem, impegit & fregit, morientj Pater ab-  
solutionem

impertiit, cum sufficientj signo poenitentis animj, vnde Sic interpretatus  
Pater ille,

Angelum eius custodem extitisse qui pro foribus strepitum edidisset ad  
Succurrendum eo in casu periclitantj, animæ huic, de Salute æternâ.

Nec omittenda est Aurelianensis Missio, quam procurarunt duo e Nostris  
non sine magno animarum bono. Quatuor ferme hominum millia Sua  
deposure,

peccata. Adiunxit Se iis Archidiaconus eius diocesis qui præter operam  
Suam Sumptus

ad victum necessarios, iis liberaliter Suppeditauit.

In Collegio Turonensj res bene gestæ sic referuntur. Per Aduentus &  
Oudragesimæ,

dies Conciones habitæ a duobus e nostris in æde primariâ, fructu non  
minore quam,

plausu atque concursu, ab aliis item omnibus quibus per alia munia non  
licuit

diuersis in locis conciones atque catecheses, quæ res pietatem hac in vrbe  
non parum

promouet.

(p. 6)

#### Res litterariæ

Parisiis vix vnquam Collegium Nostrum tanto Scholasticorum floruit aut  
numero aut nobilitate. Certe tanta est in Conuictu frequentia etiam pri-  
mariæ

in Galliâ dignitais facile principum; vt non paucj ex ædium angustiâ non potuerint

admittj in Conuictum.

In Collegio Blesensj, pergit in dies Serenissimus Princes Dux Aurelianensium

pro suo in Societatem vetere ac constantj Studio, de hocce Collegio bene mererj; cuius

sui in nos singularis amoris illustre posuit testimonium, concessis in impensas nouj

templj ædificandi quadraginta librarum gallicarum millibus.

Turonis Illustrissimj Archipræsulis amor in Societatem ac Studium non modo

constitit idem Semper, Sed augerj etiam videtur in dies, cui Sane dibet hac vrbe

Societas quod quiete mueribus fungatur Suis, cumque contra maleuolorum

calumnias defensorem acerrimum experiatur.

In Collegio Augensj Suum etiam Litteræ tulere fructum. Illustrissimus enim

Archiepiscopus Rothomagensis, in Augensis vrbis lustratione Latino Dramate

exceptus a Rhetoribus, Suam vt in nos beneuolentiam testaretur, postridie minorum ordinum candidatos in templo nostro publice consecrauit. Nec minore

postea cum Sui in nos amoris Sensu accommendatione Collegii Illustrissima

Princeps Guysiani Ducis Soror, cum in vrbem venisset, gallico carmine ab auditoribus nostris Salutata est.

Aedificia et res temporales

Collegium Parisiense geminis aedificiis amplificatum est; alterum quia luminibus Sacelli nostri obstruebat, ab Collegij Chollectæj Sociis emptum ac

commodiores in vsus reffectum. Alterum ad hortulj nostri finem exstructum,

Sumptibus Nobilissmj dominj Fouquet, Regij in Supremo Parisiorum Senatu

Procuratoris Generalis, & Summj ærarij Præfecti, qui Superlori anno Bibliothecam

fundauerat. Continet hoc ædificium in infimo ordine ambulationem; vnde per

arcus prospectus est in hortum; in medio aulam recreationj nostorum destinata: in Summo Bibliothecam.

In Collegio Flexiensi perfecta demum area, iamque maturis ad habitationem

ædibus clausa tantum in decus excreuit, vt ad illud in uisendum hospites vndequaue

noui concurrant.

In Molinensi captum est ædificium, in quo Scholæ tres cum Præfectj aulâ & sacristia ad futurum templum destinata in Secundâ consignatione cubicula aliquot, in Suprema Bibliotheca continent: & ad fastigium usque.

(p. 7)

perductum, partim Sumptibus Collegij, partim liberalitate ciuium quorumdam

primariorum, nec non Illustrissimj Præsedis de Mesme, qui olim in hoc Collegio Litteris operam nauauit, Qui quidem Singuli millieros Francos ad Scholarum constructionem dederunt: Antiqua quoque Domus pene mediâ Sui parte collabens murorum ac trabium vitia, restaurata.

Alia quoque Domus hospotalis S<sup>u</sup>i Julianj, ex qua Collegium percipit vberes redditus, a fundamentis in integrum restituta est.

In Collegio Hesdiniensj paupere licet, resarciuntur in dies Sarta tecta, domusque magnam

partem in ruinam incumbens, quantum fierj potest instauratur.

Ex aere alieno, quod ante duos circiter annos ad tria pene librarum Turonensium

millia excreuerat, media prope pars, quâ curis, quâ Eleemosynis, hodie dissoluta est.

Aegre tamen hic viuatur propter assiduas bellorum clades quibus inculta in dies

prædia redduntur quam plurima.

Collegij Compendiensis hoc anno capta est passessio, præsentè Serenissimâ

Regina Matre & Reuerendissimo Episcopo Suessionensi atque adeo in partem

lætitia post biduum Subsecuto Christissimo Rege Ludouico decimoquarto.

Totius foundationis Seriem continent Litteræ Seorsim missæ quas hic retexere

necesse non est.

Supersunt Elogia defunctorum  
qui duodecim omnino  
numerati Sunt

Pater Nicolaus Jaudonnet, Picto, Coadiutor Spiritualis,  
obiit Deppæ in Residentiâ Societatis cuius ipse Superior erat, Sexto  
Januarij  
atatis anno quinquagesimo Septimo, Societatis trigesimo octauo, cuius  
maximam  
partem exegit in obeundo Ministri officio per diuersa Collegia Societatis,  
Rector etiam  
in domo Probationis Rothomagensis, Tertianorum Patrum, vir Strenuus in  
audiendis  
Confessionibus, visitandis agris, habendis conciunculis & cæteris partibus  
nauj operarij :  
Mortem prasensisse videtur, huic obeundæ se fortiter accinxit & Sacra-  
mentis Ecclesiæ  
munitus constanter excepit.  
Antonius Caron, Ambianus, Scholasticus approbatus, obiit Venetj,  
vndecimo Januarij, ætatis anno vigesimo tertio, Societatis tertio, Miræ  
integritatis  
qui anno non plus vno in Collegio Venetensi commoratus, in Litteris  
multum  
profecit, in pietate magis, & quartanâ febri correptus, quae in continuam  
degenerauit,  
optato tandem fine vitam, integerrimam absoluit.

(p. 8)

Joannes Mallet, Agennensis, Coadiutor temporalis, obiit in Collegio  
Parisiensi, vigesimo Sexto Januarij, Atatis anno quinquagesimo primo,  
Societatis

trigesimo Faber erat lignarius et in ea arte bene peritus, moribus quietus,  
institutj

Sui Studiosus cultor & ad omne opus paratus, licet in deuxâ ætate esset  
infirmus atque

inualidus. In Supremo morbo quo febrî & peripneumoniâ laborauit, con-  
stantiam

& æquitatem animj præbuit Singularem, Susceptisque Sacramentis Ec-  
clesiæ quæ

postulauit ardentem, [Susceptis] <sup>1)</sup> aliquot ante obitum diebus, Sancto fine  
tandem

expirauit.

Jacobus le Breton, Rhedonensis, Coadiutor temporalis, obiit Briocj

inter Armoricos duodecimo Martij, ætatis anno Sexagesimo quinto, So-  
cietatis

quadragesimo primo. Nullum habet ibj Societas domicilium, Sed additus  
erat Socius

vni e Nostris concionatorj, per quadragesimæ ferias inibj verbum Dei  
facienti. Cum ex

tussi laboraret, febrî correptus interiit, perceptis Ecclesiæ Sacramentis  
tanto Sensu

pietatis, vt odore bonæ famæ totam vrbem impleuerit, quæ certatim ad  
eius exequias

---

1) suppression. 削除。

effusa est. Canonicj templi primarij corpus eius in Suo templo Sepulturæ mandauerunt

eique Solemnibus exequiis parentauerunt, comitantibus viris Primariis tam

Clericis quam Laicis, Deo nimirum rependente humilij Seruo, in terrâ, quod eius

virtutes merebantur præter eam coronam quam ej multo vberiore in Cœlis

destinauit, erat enim, vt eius Rector testatur, Vitâ Innocens, de uotus, obediens,

verecundus & ad omne bonum paratus.

Franciscus Pignot, Issoldunensis. Scholasticus approbatus, obiit Parisiis Sexto Martij, atatis anno vigesimo octauo, Societatis vndecimo, docui-  
thumaniores.

Litteras annis pluribus, etiam cum laude & Theologiæ nauabat operam, & in eâ

proficiebat excellentij præditus ingenio. Si valetudo respondisset, nam affecto morbis

corpusculo fuit, toto ferme decursu vitæ, & ante obitum annis duobus, præcordiorum

palpitatione laborauit, quam postea quartana febris ac deinde continua consequuta est,

cum pectoris oppressione. Mortem habebat in votis, ad quam bona & Relligiosa vita

inuitabat, & ad eam deo iuuante peruenit, omnibus Ecclesiæ Sacramentis rite

perceptis.

Ludouicus de Beaureins, Atrebatensis, Scholasticus approbatus,

obiit Parisiis in Collegio, primo Aprilis, ætatis anno vigesimo Septimo,  
Societatis nono,  
pius & ingenuus Adolescens, feruens Spiritu, modestus, regularum ob-  
servator  
& omnibus Summopere charus, docuit humaniores Litteras in Collegio  
Ambianensj

(p. 9)

Studuit etiam Philosophiæ in Collegio Flexiensj & nunc tertium annum in  
iisdem

Studiis ponebat Parisiis, cum morbo correptus malignæ febris cum in-  
flammatione

pulmonum decimo die Sacramentis rite procuratus & Jubilæo Alexandri  
Septimj

Summj Pontificis obito, munitus, placide quieuit in Domino.

Pater Antonius Hodancq Ambianesis, Coadiutor Spiritualis, obiit  
Parisiis in Collegio, decimo Septimo Augustj ætatis anno trigesimo octavo  
eo ipso die

quo Societatem ingressus erat ante annos octodecim, Præfectj Con-  
uictorum munere

functus, vno ferme anno Sed cum eximia pietatis ac prudentiæ laude  
Docuerat

Litteras humaniores & Rhetoricam annis pluribus, pro dignitate, postea  
Ministrj munus exercuit, Nostris Summe charus tandem in Conuictorum  
gubernatione morbum contraxit, quo Sanguinem ex pectore fudit, & post  
menses

aliquot lenta tabe extinctus est, desiderio Sui relicto non modico, propter  
Singularem prudentiam, & integritatem, atque vnionem cum Deo, vnde

frequens

erat in genibus, coram Sanctissimo Sacramento modestiâ talj, vt ad pietatem

intuentes incenderet. Obiit plenis Sensibus, dulcia Colloquia Sæpius ad Deum

fundens omnibus Sacramentis rite procuratus.

Pater Jacobus du Val, Pontodomarensis, Coadiutor Spiritualis, formatus, obiit Cadomj quinto Septembris, ætatis anno Sexagesimo quinto, Societatis

quadragesimo quarto, continuis Infirmis exercitus per totum Religiosæ

vitæ curriculum, Sed tamen animum, non despondit & generosâ patientiâ longum hoc Martyrium Superavit. Crebro Super mensam legens in rectorio,

vt pro Infirmis aliis, ipse infirmus hoc munus Suppleret. Mitis & pius erat in conuersatione, erga res Spirituales bene affectus, de quibus creber ej Sermo erat,

cum magnâ mentis teneritudine. Postremo in morbo Sacramenta Ecclesiæ

deuolte postulauit & recepit. Iisque munitus integris animj Sensibus expirauit.

Jacobus Berton, Lotaringus, Coadiutor temporalis, obiit Flexiæ vigesimo primo octobris, ætatis anno quinquagesimo quinto, Societatis Trigesimo :

Faber ferrarius industrius, & vigilans, Emptoris officio Flexiæ functus annis

quindecim cum approbatione. Paupertatis memor & charitatis & vjgilantiæ,

in labolando impiger vt Si quid temporis ab officio liberum haberet  
horologiis cudendis  
impenderet mirantibus cunctis tantam in affecto corpore constantiam;  
exhibuit  
etiam patientiæ Specimen in Supremo vitæ Spatio, quo grauiter aegro-  
tauit tribus  
enim ante obitum annis ægrum anhelitum traxit, ex oppresso pectore &  
tandem  
exhydropisj & febriculâ consumptus est.

(p. 10)

Philbertus Gueneau Niuernensis, Scholasticus approbatus,  
obiit Parisiis in Collegio, Secundo Nouembris, ætatis anno vjgesimo tertio,  
Societatis quinto, pius, modestus, compositus, & ea morum honestate;  
in communj  
congressu vt eum omnes Suspicerent. Docuit Grammaticam Aureliæ  
annis,  
duobus Sed tertiam grammatices Scholam Parisiis vix mensem vnum  
aggressus,  
letalj morbo quo per octiduum decubuit fortiter Superato, & Sacramentis  
deuote  
Susceptis, interiit, magno apud Nostros Suj relicto desiderio.  
Pater Leonardus Garreau, Lemouix, quattuor Votorum Professus,  
obiit Secundo Septembris, interemptus ab Iroquæis, in noua Franciâ dum  
pergeret  
ad Hurones. Annos natus erat quinquaginta, ex quibus in Societate  
vigintj,  
in missione Canadensi Sexdecim posuit, mira Sunt quæ referunt earum

regionum

Patres nostrj de Zelo eius, in animabus Infidelium Deo lucrandis, & laboribus indefessis

de amore crucis & euangelicæ paupertatis, de pietate erga Christum dominum & de

cæteris eius virtutibus, quas ipsi fusius exequentur, hoc vnum de glorioso ejus obitu

Silere non debeo. Cum ab Iroquæis per proditorem contra pacta cum Francis inita

bellum intentatum esset. Nauiculæ quæ aliquot e Nostris vehebant cum huronibus

pluribus Sclopetis et catapultis impetitæ Sunt. Vnde contigit vt glande plumbeâ

traiceretur hic Pater in Spina dorsj, quæ plagâ ingentj vnlnerata atque confracta est,

biduo tamen Superuixit interemptoribus suis beneprecans & necem ignoscens

Suam, & Spoliatus vestibus omnibus ipsoque indusio ac relicto vnico femoralj,

reportatus est in vnam habitationem Societatis quæ in monte Regalj Sita est, cum

acerbissimis doloribus in corpore Sed ineffabilj gaudio in mente, quod Christo

Domino Similis esset in morte nudus & expoliatus & ab omnij Solatio destitutus.

Tandem a Patre Claudio Pitart locj Superiore Solicite habitus & Sacramentis

Ecclesiæ procuratus, beatum Spiritum transmisit in Coelum Relictis

exuuis

corporis Suj in eâ Insula Syluestrij.

Thomas Ruault, Ebroicensis, Coadiutor temporalis, obiit Parisiis in  
Domo Professa, decimo octauo Decembris, ætatis anno Trigesimo quinto,  
Societatis

octauo, lugubri casu, labentis in caput tignj ex Superiori tecto, quod  
incendium

conceperat, in æde Domui nostrae vicinâ, cui extinguendo dum adlaborat,  
vna cum

aliis Patribus & fratribus, huic ingentj damno Succubuit ; accepto grauj  
vulnere

in cerebro, quo non statim extinctus est, sed post tres hebdomadas de-  
cubitus, datis

Signis eximiæ patientiæ, & Susceptis deuote omnibus Sacramentis Ec-  
clesiæ,

(p. 11)

beato fine quieuit. Eminebant in eo virtutes multæ, Charitas in pauperes,  
quorum

necessitatibus Studiose Subueniebat. Vnde & post obitum eius, acerbe  
planxerunt.

Pietas erga Deum Sinpularis qua se a turbis Subducebant vt Libros pios  
legeret,

& in Sui Custodiam incumberet. Exacta regularum omnium custodia,  
Sed earum

maxime quæ ad officium Janitoris domesticij Spectabant, vnde fiebat vt  
Superioribus

æque ac inferioribus mire charus & acceptus esset.

Annuaire Litteraire  
Provinciale Francie  
Anni Dominij  
1656

---

Cette transcription a été faite sous la direction de Monsieur Jean Mesnard, professeur à l'Université de Paris-Sorbonne, que nous remercions, ainsi que Monsieur Philippe Sellier, professeur à l'Université de Paris-Sorbonne, qui nous a donné de précieuses indications concernant la traduction.

(上記、手稿を解読し、テキストを作成する作業は、パリ・ソルボンヌ大学のジャン・メナール教授の指導の下におこなった。また、同大学フィリップ・セリエ教授からも貴重な教示を受けた。)